Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26280
Copyright: Admont, Benediktinerstift

aliud loquitur quam id quod primus hominibus dixit: Cur praecepit vobis deus ut non comederetis de omni ligno paradysi? Sed quia divino munere redemptus homo iusticiam recepit quam dudum conditus amisit, robustiorem se iam etiam blandimenta callide persuasionis exercet. Quia experimento didicit quantum obediens esse debeat praecepto. Et quem tunc culpa duxit ad penam, nunc pena sua restringat a culpa, ut tanto magis delinquere metuat, quanto cogente supplicio et ipse iam quod perpetravit accusat. ~~In codice omeliarum evangelii partis primae omelia XVI unde supra.~~

XIIII

Antiquus hostis etiam primum hominem parentem nostrum tribus se temptationibus erexit, quia hunc videlicet gula et vana gloria et avaritia temptavit, sed temptando superavit. Quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippe temptavit cum cibum ligni vetiti ostendit atque ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria temptavit cum diceret: Eritis sicut dii. Et ex profectu avaritiae temptavit cum diceret: Scientes bonum et malum. Avaritia enim non solum pecuniae est, sed etiam altitudinis. Recte enim avaritia dicitur cum supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad avaritiam honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de unigenito filio diceret: Non rapinam arbitratus est esse se equalem deo. In hoc quo diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quod eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Sed quibus modis primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini temptando succubuit.